*INITIUM*

# ARCHIVUM PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

(APUG)

## FONDO CURIA

(F. C.)

Nº 1716

Gesuiti

Van-Streyp Filippo.

Iuris Criminalis Praelectiones, quas in Sapientiae Gymnasio habuit Phil. Van-Streyppius anno 1808.

Cart. 185 X 130. Sec. XIX. p. 239.

Juriſ Criminaliſ

Prælectioneſ

Quaſ in Sapientiæ Gymnasio

habuit

Phil. Van Streypiuſ

Anno 1808

J. V.

Juris Criminalis

Praelectiones

Quas in Sapientiae Gymnasio

habuit

Phil. Van-Streypius

Anno 1808

J. V.

# In Criminalis Juris Institutiones

## Præfatio

Universi juris duæ (Justinianus ait) sunt positiones, Publicum, et Privatum. Publicum est, quod ad statum Rei Romanæ (hoc est Reipublicæ) spectat. Privatum est, quod ad singulorum utilitatem pertinet = Institutionum de justitia, et jure § 4.° At publicum quidquid est, id multo antecellit privatum; ex hoc primum intelligimus, quanta sit criminalis jurisprudentiæ dignitas, et quantum illa præstet jurisprudentiæ civili. Civilibus enim plerisque legibus proposita est utilitas singulorum in obtinendo jura cujusque suo. At leges criminales perpetuo procurant publicam utilitatem, non tantum quando animadvertunt in crimina, quæ directe oppugnant ipsum civitatis statum, sed et quando ulciscuntur injurias singulorum, atque ita removent malum imitationis, quod et publicum malum plane est, et certe existeret, si, quæ nefaria facta sunt, in singulos, ea forent impunita. Civilis præterea ratio peculiariorem, et jura